Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 393

Quelle:
Copyright:

Ne foret ergo tonans inglorius otia ſeruans
Sicut diſpoſuit bonus et potis omnia fecit.

De Pomi eſu:

Mente ſat elata pomum conſiderat ęua
Tam pulchrum uiſu. quam delectabile guſtu
Accipiens uetitum. ludit deluſa maritum
Et ſibi ſemeſum ſubito commendat in eſum.
Pro dolor his hominem mors morſibus iuit in omnem &c.

Quod mox per *uetus*, ut ait, *paradigma* lepide illuſtrat:

Fons ſue turbatur. porcellus in hoc adaquatur.

Ultima ſunt:

Heu peregrinamur domino. cum carne grauamur.
Sed niſi per lignum (crucis) *quis tranſeat hoc mare magnum*
Quod nimis horrendis iam nunc inter iacet undis.

Cum de hoc, uti de ſuperiori *Poemate*, ſileant Promi Condimei Literatores, promam hic pariter conjecturam meam. Quid ſi pro *Henrico Auguſtenſi* reſcribendum foret *Antiſiodorenſi?* Plura ſcripſit Carmina *Henricus*, *Ericus*, *Herricus* circa an. 880. Monachus *Antiſiodor.* ut habes apud *Leyſerum* in *Hiſt. Poem. med. aevi* p. 258. et *Fabric. L.* V. p. 106. Noſtrum quidem inter illa non cenſetur; ſtilus tamen et *metrificandi* ratio ſatis conſonat. Certa dabunt Codices ex aliis fortaſſe Bibliothecis ad contentionem inſtituendam olim proferendi.

IV. *fol.* 149. *De computatione digitorum.* Initium: *Romana computatio ita digitorum flexibus ſeruatur. Per primam digitorum trium in leua ab extremo inflexionem in medium palme artum dicitur: unum. duo. tria. Cum dicis quatuor extremum digitum leues* &c. Ulterius usque ad: *Decies centena milia cum dicis. duę palmę aperte erga faciem e regione interpoſitę ſed ante aures retro reſpicientes.* Atque haec *fol. verſo* per Manuum figuras pictura lineari expreſſas repraeſentantur, quae tamen repraeſentatio in *numero* 900. abrumpitur, adpicto p. ult. Syſtemate Planetario *Ptolemaei.* Computus porro hic ab antiquo illo Luſu originem traxiſſe videtur, qui Graecis Ἐπαλλαξις των δακτυλων, Latinis *Digitorum Micatio* audiit, quemque celebrant vel hodie *Itali* et phraſi patria *giuocar alla Mora* vocant.